

EXAMEN CENSURÆ CAP. XXII.

De Ecclesia Iesu Christi, ejusq;
notis.

IN hoc capite non agitur nisi de Ecclesia Christi, quæ per Ministros illos, de quibus Cap. præced. actum fuit, colligitur. Id indicant satis apertè verba Declarationis; Porro Cæsus illi, qui aut publicè horum Ministrorum opera, aut alioquin per verbum Evangelij quocumq; modo prædicatum, lectum, auditumve, in unum quasi corpus congregantur. Quare ineptè hic Censor postulat agi de Ecclesia Veteris Test. At titulus tamen est, inquit, de Ecclesia Jesu Christi in genere, quæ utramq; Ecclesiam tum N. Test. tum Vet. comprehendit. At per Ecclesiam Jesu Christi, Ecclesiam Jesu Christi patefacti, & revelati in carne tantum intelligunt, ut ex re ipsa & connexione Capituli huius cum præcedente, manifestum est. Quo ipso, propositum non habuerunt negare fideles V. Test. ad Ecclesiam Jesu Christi ullo modo pertinere, & per Christum aliquando salvatum iri: Absit: Nihil minus: Sed de Ecclesia N. Test. tantum egerunt, quia istud ordo & series tractationis postulabat. Quod attinet quæstiones illas, An Ecclesia V. Test. eadem specie fuerit Ecclesia, cum Ecclesia N. Test. Sive, An eadem specie fides in Jesum Christum a Deo præscripta fuerit sub V. Test. quæ sub novo, an eadem præcepta & promissa sint sub V. Test. quæ sub novo, aliasq; ejus generis plures, ut eas hic in sua Declaratione tractarent & deciderent, nec necessarium nec operæ pretium putarunt. Quid enim hoc ad Christianum hominem facit, si quæstiones illas sciat si nesciat? ut quis Christianus sit, & ad Ecclesiam Jesu Christi hodie pertineat, eâ sola fide opus est, quæ in N. Test. præscribitur; istis præceptis obediendum, istis promissis fidendum, quæ in Evangelio tradita sunt, quod fieri posse sine quæstionum illarum scientia, aut decisione, quis aded cæcus est, qui non videat? Tum quicquid de istis dixeris, haud magnoperè contendunt Remonstr. Sufficere credunt, si, quod Evangelium aperte testatur, Nemini unquam Justitiam & salutem ex operibus Legis, sed per gratiam Jesu Christi obventuram esse, aut obvenisse, extra dubium ponatur. Cætera Scholis relinquunt, & curiosis disputatoribus, qui vix haberent quo juventutem vexarent & torque-

Cavillatio Censoris de Ecclesia V. & N. Testamenti ut frivola & inepta obiter diluitur.

rent,